



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Liber Theologiæ Moralis, Viginti Qvatvor Societatis Iesv Doctoribvs Reseratvs

Escobar y Mendoza, Antonio de

Lvgdvni, 1659

IX. De peccatis Operis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41066

crimen est. Cur in Spiritum sanctum appellantur peccata? Quia Spiritui sancto aditum præcludunt, dum scilicet media, aut dispositiones (puta Spem, Timorem, & Dolorem) à se remouent, sine quibus secundum ordinariam legem Spiritus sanctus non iustificat peccatorem. Quamobrem huiusmodi peccata irremissibilia dicuntur, quod difficilis, & rarsa sit eorum remissio, licet non absolutè impossibilis.

CAPVT VIII.

De Peccatis Oris.

39. **Q**uid Oris delictum? Quod ore perpetratur, seu lingua.

40. *Eius species recense.* Tribus modis species multiplicantur. Primò ex obiectis specie distinctis. Secundò ex eo, quod vnus idemque sermo ad obiecta specie diuersa refertur. Tertio ex eo quòd licet ad vnum obiectum idem specie sermo terminetur, attamen diuersa specie circumstantia affectus est.

41. *Aperias autem quonam modo numero multiplicentur?* Ex multiplicatione sermonis moraliter interrupti, & ex morali distinctione numerica obiectorum. v. gr. maledicens Deo & duodecim Apostolis, duo tantum numero peccata committit; quia Deus & Apostoli cuncti duplex tantum distinctum specie obiectum constituunt. Item eadem ratione impreicans familiæ mortem, vnum solummodo intendit homicidium.

CAPVT IX.

De Peccatis Operis.

42. **P**eccati Operis species & numerum distingue. Operis crimina specie differunt ex diuersis obiectis. Numero autem multiplicantur, tum operis multiplicatione moraliter interrupti, tum obiectorum multitudine, quæ moraliter diuersa numero peccata constituunt. Ex intentione tamen ad vnum multa opera peccatam vnicum efficiunt. Num peccatum operis ex circumstantijs augetur? Ita quidem, tum in eadem specie, tum etiam in diuersa.

43. *Qui ob veniam suam recipiendam per Confessionem delinquit, peccat ne gravius? Non videtur gravius peccare, nisi iustitiae contemptus adiiiceretur.*

44. *Qui alium ad peccatum inducit, peccat ne semper speciali scandali crimine? Non, nisi ideo inducat, ut cum in mortale labi efficiat. Peccat tamen alio peccato numero distincto. Aliquando etiam gravius tantum peccat, ut in his peccatis accidit, in quibus necessario sociorum concursus requiritur.*

CAPUT X.

De Peccati effectibus.

45. **Q**uam Peccati effectus referendi? Primus est macula, quam peccatum actuale infert, & in qua peccatum habituale consistit. Secundus est reatus poenae, seu aeternae, seu temporalis: seu damni, seu census. Tertius est diminutio naturalis inclinationis ad virtutem, quatenus voluntas acquisita per peccatum habitu vitioso, facilius ad malum defertur, ad quod habitus vitiosus inclinat.

46. *Num unum peccatum alterius poena esse possit? Per se & formaliter consideratum, quatenus culpam dicit, non potest, ita ut Deus velit hominem ob culpam praecedentem in aliud prolabi delictum; quia peccatum non potest à Deo intendi. Si verò peccatum spectetur secundum eius accidentia, ut ratione infamiae, vel tristitiae, vel subtractionis gratiae, unum peccatum alterius poena potest existere.*

CAPUT XI.

De causis à Peccato excusantibus.

47. **A**liquae causae excusantes à crimine? Sunt quidem, quas ad quatuor classes adduco. 1. Dispensatio valide obtemperata. 2. Impotentia physica, aut moralis. 3. Vis, aut metus, seu proximum grauis damni periculum. 4. Ignorantia inuincibilis, & inaduententia.

48. *Esto quod impotentia excuset à peccato: requiro, numquam non possum totum praecipuum implere, teneat adimplere partem, quam possum? Teneris, modo sit pars notabilis, & superiorior.*